

DISPUTATIO  
DE MUTVO:

*Qua*

PUBLICAE, PRÆSIDE

SCIPIONE GENTILI  
I. C. ET ANTECESSORE:  
RESPONDENTE

GODEFRIDO HERTELIO  
SILESIO, HABEBITVR ALTORFII,

Mense <sup>Septemb.</sup> ~~Augusti~~, Die 27.




NORIBERGÆ.

Ex Typographéo Pauli Kauffmanni.

---

clō. lō. xcix.

b15291558 (8)



**NOBILIA TQVE**  
**CLARISSIMO VIRO, VVENCES-**  
**LAO CROMERO DE KRIPPEN-**  
dorf, Domino affini & Patrono debi-  
tâ observantiâ colendo.

**D. D. & O.**

*Respondens.*

# DE MUTVO.

## THESIS I.

**M**utuum ex eo genere contractuum est, in quibus ex una tantum parte obligatio contrahitur, sicut & stipulatio. Quos propterea Graci *μενον λεύρους* appellant. Alii sunt, quos *διπ λεύρους*, in quibus ab utraque parte, h. e. mutua obligatio contrahitur: ii que plurimi sunt, veluti emptio, locatio, societas, commodatum, mandatum, alii.

*l. Labeo ff. de V. S.*

### II.

Mutuum est contractus qui re perficitur, cum res alteri utenda datur, ita ut dominium in eum transferatur, resque non eadem, sed ejusdem generis restitui debeat, jurisque gentium est, ut plerique omnes contractus.

*Inst. de. oblig. quæ re contr. l. 2. ff. de reb. cred. l. 1. ff. de just. & jur.*

### III.

Mutuum ex eo dici Paulus scribit: Quod è meo tuum fiat, quæ notatio omnibus aliis præferenda est.

*d. l. 1. § mutui,*

### IV.

Mutui genera cum D D. constituere, non placet nobis. Vnum genus est, quod re & numeratione constat, vel ea qua naturaliter facta est, vel quam jus pro facta habet, quod referenda stipulatio itemque literarum obligatio est, cui similis olim nominum acceptio. Hinc M. Tullius in orat. Q: Rosc. Amer: Certam pecuniam peti tribus modis posse ait, si adnumerasse se potitor dicat, vel expensum tulisse, vel denique stipulatū esse.